

cidio etiam directe voluntario contracta dispensare, etiamsi delinquens ratione illius jam sit judicialiter delatus, et citatus; si litis contestatio facta non est, et cæteroquin crimen adhuc non est notorium, sed occultum modo supra a n. 229 declarato.

234. *Qua litis contestatione facta episcopus adhuc dispensare posse saltem post litem finitam, volunt aliqui.* — Volunt quidem nonnulli; ut Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. XI, n. 2; Layman, lib. I, tr. III, p. 5, cap. IX, n. 5. Diana, et alii, posse episcopum, et regularem superiorem, ut supra, dispensare etiam post litis contestationem, postquam nempe lis in iudicio jam finita, et delinquens ob delictum punitus est; eo quod finis, ob quem S. synodus prohibuit episcopis, ne delicto ad forum contentiosum jam deducto dispensent, jam sit obtentus, ne videlicet curæ super delicto jamjam cognoscentis auctoritas minueretur, et satisfactio congrua impediretur.

235. *Sed contrarium probabilius est.* — Verum quia, si concilium Tridentinum, sess. 24, *de Reform.* cap. VI, non tantum prohibuit dispensationem, si homicidium ad forum contentiosum jam est deductum, sed etiamsi illud jam est notorium et publicum; homicidium autem, de quo in foro contentioso jam cognitum, et sententia lata fuit, sit et maneat publicum ac notorium notorietate juris etiam, post finitum iudicium, hanc dispensandi potestatem merito negant Garcias, p. 7, *de Benefic.* cap. XI, n. 50; Guttierrez, *Can. quest.* nb. 1, cap. III, n. 10; Barbosa, loc. cit. n. 35; Castro Palao, *de Censuris*, disp. 6, pun. 7, n. 13; Bonacina, disp. 7, q. 5, pun. 1, n. 6, pro qua opinionem citatur etiam declaratio cardinalium.

### TITULUS XIII.

#### De torneamentis.

1. *Ratio ordinis.* — Ad vitanda homicidia prohibuit Ecclesia frequentiores eorum causas, cujusmodi sunt torneamenta, duella, et ars sagittaria. De quibus proin post titulum de homicidio in præsentî, et duobus

sequentibus rubricis recto ordine agit juris compilator.

2. *Torneamenta, quid?* — Quæritur itaque ad propositum præsentis rubricæ quid, quotuplicia, quibus, et sub qua pœna prohibita sint torneamenta? Resp. I. Torneamenta (Germanice Turnier) sunt nundinæ seu feriæ, et hastiludia, seu pugnae solennes equestres, quibus milites, vel, uti præteritis seculis frequentius fieri solebat, nobiles equestres ex conducto convenire, et ad ostensionem virium, animositatisque et peritiæ tractandorum armorum congregari solent. Ita in substantia describuntur c. 1, h. t. et notant ibidem doctores.

3 et 4. *Fieri possunt cum et sine periculo vitæ.* — Resp. II. Hujusmodi torneamenta duplicia sunt, vel potius duplici modo fieri possunt. Primo temere, et cum ordinariè adjuncto mortis periculo, quando nempe ad invicem congregientes, hastis acutas cuspides præfixas habentibus, aliisque armis ad vulnerandam præparatis utuntur.

Secundo modo sine temeritate, et mortis periculo; dum videlicet congregientes ad invicem debitam cautelam, vel arma hebetata, hastasque sine cuspidibus adhibent, vel loriceis, et galeis secure ita muniti comparent, ut omne periculum vitæ absit; vel denique hastis et armis non se invicem, sed suppositas figuras petunt.

5. *Priori modo sunt prohibita.* — Resp. III. Quamvis torneamenta priori modo descripta veteri jure civili permissa videantur; arg. l. *Qua actione*, 7, § 4, ff. *ad Leg. Aquil.* et l. *Solent*, 2, ff. *de Aleat.* tamen jure novo codicis, et præcipue jure canonico gravissime sunt prohibita. Jure civili quidem l. un. c. *de Gladiat.* Jure canonico c. 1 et 2, h. t. Ratio adjungitur cit. c. 1, h. t. quia inde mortes hominum, et animarum pericula sæpe proveniunt; unde etiam detestabiles ibidem vocantur.

6. *Et quidem sub pœna homicidii officiente occidentem, et privationis sepulturæ ecclesiasticæ officiente occisum.* — Resp. IV. Pœna in hujusmodi torneamentis pugnantium est, quod, qui in illis aliquem occidit, veri homicidii et pœnarum illius utroque jure statutarum reus sit, prout post Hostiensem, in *Summa*, h. t. n. 3, bene observat Pirhing, h. t. n. 2. Ille vero, qui occiditur, licet et ante obitum sacramenta Ecclesiæ non negentur, ecclesiastica sepultura carere debeat, textu expresso cit. c. 1, h. t. ibi :

« Quod, si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, ecclesiastica tamen caret sepultura. » Intellige, si animo ibidem pugnandi accesserit; illi enim, qui ex alio etiam curiositatis fine illic existunt, et spectatores agunt, ecclesiastica sepultura non privantur, si casu ibidem intendant, textu claro c. 2, h. t.

7. *Posteriori autem modo sunt licita, et consueta laicis.* — Resp. V. Licet etiam posterior torneamentorum modus n. 4 delatus, olim a Clemente V, in concilio Viennensi per Constitutionem, quæ incipit *Passiones*, sub excommunicationis et aliis gravibus pœnis fuerint prohibita ex eo, quod nobiles ad illa se præparantes immodicos pro splendore et apparatu fecerint sumptus, indeque a dando subsidio terræ sanctæ inhabiles fuerint redditii, uti observat Gonzalez, in cit. c. 2, h. t. n. 7. Dictam tamen constitutionem, pœnasque in illa contentas, ad instantiam regis Galliæ, et Germaniæ principum, ac magnatum revocavit Joannes XXII, in *Extravag.* un. h. t.

8. Hinc torneamenta, et hastiludia posteriori modo accepta, quæ nostris temporibus in principum natalitate, inauguratione, nuptiis, etc. passim fieri solent, nec culpæ, nec pœnæ subjacent respectu laicorum, etsi per accidens, ac præter opinionem homicidium alicujus sequatur, ut colligitur ex textu cit. *Extravag. Joannis XXII*, un. h. t. et bene observat Navarrus, *Manual.* cap. XV, n. 9 et 21; Abbas, in c. 1, h. t. et ibi Barbosa, n. 2; Gonzalez, in c. 1, h. t. n. 6, et alii. Ratio est, quia hæc torneamenta ex se nullum vitæ periculum adjunctum habent; et prorsus per accidens est, si mors ex eis sequatur.

9. *Non item clericis.* — Dicitur tamen notanter respectu laicorum, quia clericis utroque modo accepta prohibita sunt torneamenta. Gonzalez, loc. cit. n. 8, et seqq.; Sylvester, § *Ludus et torneamenta*; Clarus, § *Ludus*; Tuschus, § *Ludus*, concl. 456, et alii, id præsertim ex variis conciliis, ut Herbipolensi celebrato tempore Honorii IV, ubi can. 4, ita statuitur: « Hastiludia, et torneamenta clericis, qui sunt in dignitatibus, personatibus, et sacris ordinibus constituti, hoc edicto perpetuo sibi noverint interdicta. » Similis prohibitio, et quidem sub anathemate facta est in concilio Salisburgensi sub Martino IV. (ADNOTATIO XXIV.)

### TITULUS XIV.

#### De clericis pugnantibus in duello.

1. *Duellum, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit duellum? Resp. I. Duellum sic dictum, quasi duorum bellum vel certamen in sensu hujus Rubricæ recte definitur dicendo: Duellum est singularis pugna duorum inter se ex conducto suscepta. Ita in re communis. Quod duellum græce monomachia vocatur, can. *Monomachiam*, 22, cau. 2, q. 5.

2. *Aliud est solemne.* — Resp. II. Duellum ita definitum principaliter dividitur in solemne, et privatum. Solemne est, quod fit servata certa forma, et solemnitate circa tempus et locum securitatis privilegio præditum (quod campum francum communiter appellant) adhibitis etiam testibus, seu patrinis, quos secundantes vocant.

3. *Aliud privatum.* — Privatum est, quod quidem etiam ex conducto, statutoque tempore et loco absque aliis tamen solemnitatibus circa securitatem loci, et patrinis adhibitis fit, uti cum aliis notat Desselius ad hanc rubricam.

4. *Utrumque est prohibitum.* — Quæritur II. An, et sub quibus pœnis prohibitum sit duellum. Resp. I. Regulariter loquendo duellum utroque modo acceptum jure divino et humano tam civili, quam ecclesiastico sub pœnis gravissimis est prohibitum. Communis et certa l. un. c. *de Gladiat.* can. *Monomachiam*, 22, c. 2, q. 5, et concilium Tridentinum sess. 25, *de Reform.* cap. XIX, ibi: Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta, corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex christianorum orbe penitus exterminetur, imperator, reges, duces, principes, marchiones, comites, et quocunque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, et dominio civitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur: et si feudales sint, directis dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium

honorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant; et ut homicidæ juxta canones puniri debeant. Et si in conflictu decesserint, perpetuo careant sepultura ecclesiastica. Illi autem, qui consilium in causa duelli tam in jure, quam facto dederint; aut alia quacunq̄e ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores, excommunicationis, ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocunq̄e privilegio, aut poena, consuetudine, etiam immemoriali.

5. *Sub gravissimis poenis et quibus?* — Resp. II. Poenæ duellantium Jure ecclesiastico statutæ sunt sequentes. 1. Excommunicatio ipso facto incurrenda. 2. Perpetua infamia. 3. Proscriptio honorum omnium. 4. Possunt etiam et debent puniri poenis contra homicidas latis. 5. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ decedentis in duello; uti videre est in textu Concilii Tridentini num. præced. allegato. 6. Duellantes etiam privati sunt Beneficiis. Et 7. Inhabiles ad illa. Necnon 8. rei criminis læsæ Majestatis. 9. Et inhabiles ad condendum Testamentum, et aliis adhuc poenis subjecti, quas videre est in Bulla Pii IV et V, quæ relative adducentur infra num. 8, in Bulla Clementis VIII.

6. *Præter duellantes, etiam alii veluti patrini, consilium, auxilium, favorem præbentes ad illud, item permittentes illud, ac spectatores illius poenis subjacent.* — Resp. III. Præfatas gravissimas poenas incurrunt non tantum solemniter, sed etiam privatim duellantes, si ex conducto, statuto loco et tempore congregiantur et quidem tam provocantes ad Duellum, quam acceptatores illius, etiam milites, et quicumq̄e alii. Rursus Communis. Ratio est: Tum quia jura indistincte loquuntur. Tum quia ita expresse declarant, et de novo statuerunt Pontifices supra citati, poenasque omnes confirmaverunt Gregorius XIII et Clemens VIII, in Bulla infra n. 8, per extensum ponenda.

7. Resp. IV. Præter ipsos Duellantes memoratis poenis insuper subjacent etiam Secundantes, seu Patrini, item omnes dantes consilium, auxilium, et favorem ad illud: sicut et qui ex industria sunt Spectatores Duelli. Magnas insuper poenas incurrunt Imperatores, Reges, Principes, belli Duces, et alii Superiores Duellum permittentes, prout videre est, tum in Concilio Tridentino citato: tum in Constitutione Clementis VIII.

Quæ incipit, Illius vices, et est undecima in 3. Tomo Bullarii Cherubini, digna, ut in odium Duelli, et amore animarum Christi sanguine redemptarum per extensum referatur.

8. *Bulla Clementis VIII, contra duellantes lectu dignissima et necessaria.*

**Clemens episcopus servus servorum Dei.  
Ad perpetuam rei memoriam.**

Illius vices, licet immeriti gerentes, qui ut animas suorum fidelium a peccato, et diaboli laqueis liberaret, de Cælo descendens, humana carne assumpta, ne proprio quidem suo pretiosissimo sanguine pepercit, sed se ipsum in Ara Crucis immaculatam hostiam æterno Patri offerre voluit, in hanc præcipue curam summo studio incumbimus, ut easdem animas inestimabili pretio redemptas adversus Satanæ fraudes, quantum in nobis est, illæsas præservemus, præsertim vero totis viribus nobis a Domino traditis exterminemus exitialia quædam, atque enormia peccata, quibus divina Majestas gravius offenditur, quæque eodem fabricante humani generis hoste, inventa, atque introducta sunt, ut ex cruenta corporum morte animarum etiam simul interitus, ac perniciæ sequatur.

§ I. Recte siquidem, et salubriter fel. record. Pius Papa quartus prædecessor noster, post alios complures suos, nostrosque prædecessores, qui detestandum divina, naturalique lege, ac Sacris Canonibus damnatum Duellorum abusum, suis etiam constitutionibus severe prohibuerant, gravesque poenas contra quoscunq̄e temporali ditioni S. R. E. mediate, vel immediate subjectos ejus criminis quomodolibet reos, vel participes inflixerant, cupiens non solum in terris prædictis, sed alias ubilibet animarum periculis obviare, Principes, ac Domicellos permittentes in suis Dominiis id patrari, ac etiam extra Terras, et Loca ditioni Ecclesiasticæ subjecta, hujusmodi Duella, seu singularia certamina, aut diffidationes desuper facientes, ac ad id invitantes, provocantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, illisque astantes, et interessentes, necnon chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes, singulos, Imperatore, ac Regibus inferiores, majoris excommunicationis, ac (si Ecclesiastici fuerint) ultra eam, etiam privationis

omnium dignitatum, beneficiorum, et officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, et alia in posterum obtinenda, poenis, subjacere, easque incurrere voluit, a quibus non nisi a Romano Pontifice absolvi possint.

§ II. Sed et postmodum generalis Tridentina Synodus ad exterminandum penitus ex Christiano Orbe hoc malum, statuit, ut Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, et quocunq̄e alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, et dominio Civitatis, Castris aut loci, in quo, vel apud quem Duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur et si Feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium honorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidæ, juxta sacros Canones, puniri debent. Et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa Duelli tam in Jure, quam facto dederint, aut alia quacunq̄e ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores, excommunicationis, et perpetuae maledictionis vinculo teneantur.

§ III. Quas poenas novissime piæ mem. Gregorius Papa XIII, pariter prædecessor noster extendit adversus illos etiam omnes, qui non publice, sed privatim ex conducto, statuto tempore, et in loco convento Monachiam commisissent, etiam Patrini, sociisque non vocatis, et loci securitate non habita et provocatoriis litteris minime præcedentibus, etiam contra locorum Dominos, si id (quantum in se fuerit) non prohibuissent, cæterosque supra dictos criminis socios, et ex composito spectatores, etiam si pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, et per eos non stetisset, quominus pugnarent.

§ IV. Verum quia cum magna animi nostri molestia intelleximus adhuc in quibusdam, præsertim Transalpinis, ac remotis Regionibus, et potissimum, ubi bella vigent, castrensi quadam, et militari licentia, seu verius audacia perniciosum hoc scelus inter Fideles exerceri, quasi fas sit in solo hostili, ubi Christiani nominis, seu Catholicæ Fidei

hostes tyrannidem exercent, seu hæreses, et Schismata impune grassantur, sive inter signa, et castra militaria in caput suorum fratrum impios convertere mucrones, quod multo salubrius contra Christi adversarios stringi par esset. Nos nefaria diaboli arma salutari Ecclesiæ gladio ad continendos in officio fideles nobis præcipue ipsius Domini auctoritate tradito refundere, atque a cervicibus gregis Domini curæ nostræ crediti, quantum (eodem Deo adjutore) eniti possumus propulsare cupientes, prædictas omnes Constitutiones, ad Decretum Concilii Tridentini cum omnibus, et singulis in eis contentis Censuris, et poenis, decretis, extensionibus, quarum, et quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, et ad verbum insertis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus, confirmamus, et innovamus.

§ V. Ac insuper auctoritate et tenore præmissis decernimus, et declaramus, easdem Constitutiones, ac Decretum, locum habere ubique gentium, et terrarum, inter quascunq̄e personas etiam armatas, et in castris, seu propugnaculis militantes, etiam ubi nostrorum et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aut Catholicæ fidei hostium furor impune grassatur, in dominiis per eos occupatis et detentis. Idem quoque juris censendum esse, si publico et forsitan justo bello indicto, miles aliquis alterum in adversariorum exercitu militantem, sive alias in hostium Castris, præsiis, aut Terris degentem, privatas simultates atque inimicitias publicæ causæ intermiscendo, etiam Ducum permisso, ex conducto ad singulare certamen descendat, aut illum provocet. Necnon iisdem poenis, Decreto, et Constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sint de derimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit. Vel si convenerint, ut non singuli, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. Et non solum locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Præsides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces, et Capitaneos in Castris vel extra ea, in alieno vel hostili suo, vel cum militibus exercitus adversariorum Monachiam in quocunq̄e casu per præsentem, vel alias Constitutiones hujusmodi prohibito, permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, aut post dimissum crimen, veniam et impunitatem concedentes.

» § VI. Præterea pari ratione prohibemus omnia, et singula ejus generis scripta, manifesta, seu fides vulgo appellata, quæ etiam sine expressa provocatione ad certamen, tamen quasi præparatoria quædam ad chartulas, seu libellos provocatorios, et ad Duellum, illorumque veluti radices aut semina, ut plurimum lacessendi aliquem ad pugnam, et suscitandæ simultatis, atque inimicitie materiam, et occasionem præbent. Dum scilicet in illis per modum Epistolæ, libelli, ac publicæ attestacionis, et intimacionis, sive per authentica documenta, sive per unius, pluriumve chirographum, subscriptiones, aut relationes sub prætextu proprii, vel alieni honoris, et famæ, more militari atque ut vulgo dicitur, Cavalleresco, tuendi, aut lædendi sive ad illatæ, propulsatæve contumeliæ, aut injuriæ probationem seu tollendam ipsius suspicionem rei alicujus gestæ ad id pertinentis, vel verborum aut responsionum series et ordo narratur, vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeo firmiter asseritur, aut negatur, ut qui contradixerit iis sive nominatim, sive in genere mendacii arguatur, aut mendi dicatur. Aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine quæritur, declaratur aut respondetur, qua mente, aut quo sensu quippiam ejusmodi, quod ad superius expressa spectet, gestum, dictumque sit. Vel denique offert se quisquam contra certam vel incertam personam, vel generatim contra quemcunque ad probandum armis, et verificandum etiam ino certamine, aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse. Necnon quascunque etiam sine scripto factas talium rerum supra dicta quoquomodo concernantium, et ob hujusmodi causas in locis publicis, vel privatis, ubi hominum multitudo convenire soleat, denunciations, narrationes et testificationes. Volentes eos omnes, et singulos, qui suo, vel alieno nomine ad effectum, de quo superius dictum est, prædicta, vel his similia, multo magis ad certandum provocatoria scripta, libellos, epistolas, eorumque exempla dictaverint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, divulgaverint, affixerint, exemplaverint, typis impresserint, subscripserint, attestati fuerint. Quive aliis et singulare certamen publice vel occulte ineundum vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive ad hujus generis scripta, quæ manifesta quæque chartulæ provocatorie appellantur,

scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda, auxilium, consilium, operam, vel favorem præstiterint, sive id suaserint aut mandaverint, quive in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscerint, etiamsi neque pugna aliqua, vel certamen, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, et aperta provocatio subsequuta fuerit, neque descriptiones prædictæ, quæ manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut quiquam intimatæ existerint, si per eo non steterit, quo (minus publicatio aut denunciatio fieret. Nihilominus censuris, et pœnis omnibus in præsentibus, et aliis prædictis Constitutionibus, et Decreto contentis subiacere, tam si superius enumeratis quam si aliis etiam majoribus ecclesiasticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, et præeminentiis excellent.

» § VII. Quin imo de novo etiam per præsentibus ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii, et Spiritus Sancti, excommunicamus, et anathematizamus, maledicimus, et excramur omnes, et quoscunque, publice, vel privatim, palam, vel occulte, in quibuscunque locis, modis et formis, ac casibus sub præsentibus nostris, et aliis prædictis Constitutionibus, ac decreto comprehensis, singulare certamen (quod Duellum vulgo dicitur) ex composito ineuntes, necnon id scelus suadentes, aut provocantes, opem, consilium, vel favorem præstantes, equos, arma, et commeatus, præbentes, aut comitantes, vel circa chartulas, seu libellos, litteras, nuntios, aut quæcunque alia scripta hujusmodi quomodolibet peccantes hujusque delicti socios de industria spectatores, paternos, fautores, defensores, quacunque tam superius expressa, quam alia ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate. Ita ut singulares etiam personæ cujuslibet Communitatis, Universitatis, Collegii, aut Reipublicæ, quæ hujus criminis participes quoquomodo fuerint, nequaquam excusentur, sed supra dictos omnes eorumque singulos, ipso facto absque ulla monitione, Judicis decreto, aut ministerio perpetui anathematis, excommunicationis majoris, et maledictionis eternæ mucrone percussos et damnatos harum serie declaramus, etsi in ipso conflictu obierint, sepultura ecclesiastica perpetuo privatos esse volumus. Ipsas vero Civitates, Terras, Oppida, vel Castra, et loca, in quorum Territoriis id facinus scientibus, et tacite, vel expresse permittentibus, aut tolerantibus

Dominiis, aut Magistratibus, vel senatu aut populo admissum fuerit, ecclesiastico supponimus interdicto, cujus interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutiorem, ab alio quam a nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice pœnitentia, et satisfactione congrue peracta in mortis articulo constituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumvis facultatum, et indultorum quibusvis personis tam ecclesiasticis cujuscunque Ordinis, aut militie status, aut gradus aut conditionis existentibus, quam laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia insignitis, per Sedem apostolicam in genere, vel in specie concessorum. Quæ omnia quoad præmissa, nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Pœnis aliis tam spiritualibus, quam temporalibus contra eos inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

§ VIII. Universos autem, et singulos charissimos in Christo Filios nostros Imperatorem, Reges, et dilectos filios Nobis Duces Viros, etiam armorum et exercituum, Marchiones, cæterosque Principes Christianos, necnon Dominia, Potentatus, Communitates et Universitates Civitatum, Oppidorum et Castrorum, illorumque Domicellos, et Dominos temporales, ac etiam militum, et copiarum, tam equestrium, quam pedestrium Auctores, Tribunos, Præfectos, Capitaneos in quibuscunque etiam nobis, et S. Romanæ Ecclesiæ temporali jurisdictioni non subjectis locis constitutos, cujuscunque gradus, præeminentiæ, et nobilitatis existentes, hortamur, rogamus, et obtestamur per viscera D. N. Jesu Christi, ut ejus divini nominis intuitu pro sua erga eundem Deum, per quem regnant Reges, et a quo Principatus acceperunt, pietate, atque erga nos, et S. hanc Sedem reverentia, et devotione non modo nihil tale in suis dominiis fieri permittant, nec ullo modo conniveant, sed hoc malum omni studio, diligentia, et auctoritate exterminare totis viribus procurent, contra a quoscunque delinquentes, et ut præfertur quomodolibet complices, et participes etiam temporalibus pœnis gravissimis animadvertant, et per suos officiales, et Curie ministros procedi curent, scituri, se obsequium Deo pergratum, perque acceptum præstituros, si quo gladio ad tutelam honorum, et ad propulsandos perditorum conatus sunt accincti, eundem ad vindictam hujus peccati, et ad sumendas de hujusmodi cri-

minis reis debitas pœnas exercuerint, contra vero memores, si in re tam gravi male se gesserint, se in districto Dei judicio rationem in novissimo die reddituros.

» § IX. Volumus autem, præsentium transumptis etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillo signatis, eadem prorsus fides ubique gentium et locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur exhibitis, et ostensis.

» § X. Quodque eadem præsentibus in Lateranen. et Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, et Cancellariæ Apostolicæ, valvis de more publicentur, affixis inibi eorum exemplis per aliquem ex cursoribus nostris, et dimissis, quodque eadem publicatio eos qui in Urbe sunt, post triduum, qui vero extra eam, post quatuor menses, omnes quos concernunt, perinde arcet, et afficiat, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent. Nulli ergo omnino, etc. Dat. Romæ in Monte Quirinali, anno Incar. Dom. 1592, Kalend. sept. Pont. nostri anno 4. »

9. *Ut duellum inducat pœnas juris, debet esse proprie tale, id est ex condictione deliberate, cum designatione certi loci et temporis.* — Resp. V. Ad hoc tamen, ut hactenus recensitæ Juris pœnæ contrahantur, requiritur verum ac proprie dictum duellum sequentes necessario requisitas condiciones habens, videlicet 1. Ut saltem fiat ab utraque parte parte deliberate, et ex condictione, seu ex pacto et convenientia duellantium. Secundum requisitum est designatio certi loci, et temporis, adeo ut si solus condicatur locus et non tempus, vel tempus et non locus, duellum proprie dictum non sit, ac propterea nec pœnis contra duellantes statutis subjectum. Pignatelli, tom. IX, consult. 88, a num. 89, id cum communi aliorum bene probans ex constitutione Gregorii XIII, supra citata ubi non sint contra duellantes præfato modo statuuntur pœnæ, ibi: Auctoritate apostolica statuimus primo illos, qui ex condictione, statuto tempore, in loco convento monomachiam commiserint.

10. *Unde ex subita ira progredientes, et duellantes non incurrunt pœnas.* — Hinc inferitur primo illicite quidem agi et peccari non tamen duellum proprie dictum committi, consequenter nec pœnis duellantium locum esse in caso, quo quis vel ob injuriam